FLORA.

№ 26.

Regensburg. Ausgegeben den 25. November. **1871.**
Mit Halbbogen 6 und 7 des Repertoriums für 1870.

Inhalt. J. Müller: Lichenum species et varietates novae. — F. Schultz: Beiträge zur Flora der Pfalz. Fortsetzung. — British Association for the Advancement of Science. — Literatur. — Anzeige.

Lichenum species et varietates novae, auctore Dr. J. Müller.

Obs. In „Principes de classification des Lichens" p. 50 sub nomine *Biatora* omnes *Lecideeas* apotheciis atris et aliter coloratis et marginatis et sporis unilocularibus praeditas in unum genus collegi, et dein ad pag. 65 *Lecideeas* sporis fuscis parenchymaticis insignitas sub *Lecidea* enumeravi, in his quodammodo nomina in systemate *Heppiano-Naegeliano* recepta sequens, sed nunc e legibus prioritatis pro genere priore, sensu indicato, *Lecideam*, pro secundo *Rhizocarpon* propono. Quae autem sub *Patellariae* nomine l. c. p. 56 generice conjunxi, eo melius sub eodem nomine persistere possunt, quod multae illarum specierum in operibus DC. et Wallr. eodem ipsissimo modo jam denominatae sunt. *Patellaria* insuper tanquam genus lichenaceum, nec funginum, prioritate gaudet.

Nomina sequentia ergo mutanda sunt:

Biatora flexuosa v. *intricata* Müll. Arg. in Flora ratisb. 1867 p. 435 = *Lecidea flexuosa* v. *intricata*.

Lecidea Heppiana l. c. p. 436 = *Rhizocarpon Heppianum*.

Biatora Casimiri l. c. 1868 p. 370 = *Lecidea Casimiri*.

Biatora nivea l. c. p. 371 (non *Sarcogyne nivea* Krempelh. quae meo sensu etiam hujus generis) = *Lecidea nivosa*.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03652-0399-7

Biatora incrustans v. *athallina* l. c. 1870. p. 163 = *Lecidea incrustans* v. *athallina*.

Biatora Cadubriae v. *symphicarpoides* l. c. = *Lecidea Cadubriae* v. *symphicarpoides*.

Biatora annularis l. c. p. 164 = *Lecidea annularis*.

Biatora Muverani l. c. p. 165 = *Lecidea Muverani*.

Biatora polycarpoides l. c. 259 = *Lecidea polycarpoides*.

Biatora umbonata v. *emersa* l. c. p. 260 = *Lecidea umbonata* v. *emersa*.

Biatora Anziana v. *minutissima* l. c. = *Lecidea pusilla* β *minutissima* (*Biatora pusilla* Mont. enim sporis gaudet transversim divisis et *Lecideae* non adscribenda est).

Biatora deplanatula demum l. c. p. 165 forte a *Lecidea dispansa* Nyl., specie anglica, non satis differt, nuperrime enim laminam solutione jodina aquosa (nec ut olim tinctura jodina) coerulescentem vidi. Mox cum speciminibus anglicis eam comparare licebit.

---

1. *Caloplaca variabilis* var. *nigra* Müll. Arg., thallus diffracto-areolatus, niger, opacus; areolae angulosae, planae v. margine subadscendente subconcavae, forma et magnitudine variae; apothecia livido-atra, margine tenuissimo nigrofacto cincta.

Sporae et structura interna, hypothecium subhyalinum et epithecium pallide fuscum omnino ut in specie. — Primo intuitu perfecte Pannariam Schaereri simulat. Lichen summopere fallax, absque analysi microscopica nunquam recognoscendus.

Habitat in fragmentis saxorum calcareorum montis Salèvae ubi prope „La Croisette“ nuperrime legit filius G. Müller.

2. *Lecidea* (sect. *Lecidella*) *ochromela*.
β *cyclocarpa* Müll. Arg.

Thallus K — Ca Cl —, pallido-ochraceus, tartareus, rimoso-areolatus et ex parte continuus, areolae angulosae, subplanae; apothecia cyclice v. hemicyclice disposita et in annulum integrum v. fractum confluentia, mutua pressione angulosa, subinnato-sessilia.

Forma pulcherrima. Structura interna fructuum omnino ut in *Biatora ochromela* Hepp Fl. Eur. n. 259, ubi sporae nimis oblongatae delineatae fuerunt. — Hypothecium impure incolor; lamina hyalina, apice cum epithecio olivaceo-viridis, solutione aquosa jodina pulchre intense coerulea. Sporae rarae, in ascis (2—) 8-nae, 8—10 mikr. longae, 5—7 mikr. latae. — Ab hac differt

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03652-0400-4

L. lapicida forma thalli et apotheciis sessilibus. — Thallus pallidus ut in *Lecidea flavo-coerulescente* Mass., sed sporae exiguae et apothecia aterrima.

Habitat in summitate montis Schwarzhorn, Vallesiae, ubi ultra 10000 ped. leg. cl. Privat.

3. *Lecidea* (*Lecidea* Körb.) *Baderi* Müll. Arg., thallus obsoletus; apothecia $^6/_{10}$—$^8/_{10}$ mm. lata v. minora, sessilia v. stipitato-sessilia, conferta, crassiuscula, juniora prominenter valide marginata, evoluta tenuiter marginata, plana, demum subimmarginata et leviter convexa, humecta fusco-atra; discus cinereo-pruinosus; lamina 80—100 μ alta, hyalina, solutione jodina aquosa intense coerulescens; epithecium fuscescens; hypothecium crassum, fusco-atrum; paraphyses conglutinatae; asci obovoideo-cylindrici, circ. 75 μ longi, 8-spori; sporae 12—17 (—20) μ longae, 5—7 μ latae, ambitu ludentes, latius v. angustius ellipsoideae v. ovoideae, intus granulosae, hyalinae.

Thallus ignotus. Crescendi modus apotheciorum ut in *L. Pilati*, *L. sarcogynoide* et in *L. vorticosa*. Apothecia juniora ut in *L. crustulata*, sed aliter disposita et pruinosa, evoluta ea *Lecideae (Lecidellae) spilotae* etiam simulant sed minora sunt et hypothecio crasso fusco-atro longius distant. A *Lecidea fumosa* dein, *L. confluente* et a *L. vapulata* simul sporis majoribus et insuper thalli defectu et crescendi modo, a *L. sarcogynoide* forma sporarum, à *L. vorticosa* colore laminae et epithecii differt. A *L. contigua* dein, pro cujus forma steriza libenter habuissem, recedit apotheciis junioribus minus planis, conniventer marginatis, humectatis fusco-atris, evolutis minoribus et secus rimulas saxi confertis, et demum sporis paulo majoribus et defectu thalli. Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Eur. t. 83. N. 719.

Ad saxa erratica montis Salève, ad parietes verticales septentrionem versus sitos.

4. *Lecidea* (*Lecidea* Körb.) *modesta* Müll. Arg.

Thallus K = Ca Cl = tenuis, leproso-tartareus, depresso- et compacto-subglebulosus, siccus lurido-cinerascens, madidus virescens et caseoso-submollis, hypothallo distincto destitutus. Apothecia $^4/_{10}$—$^5/_{10}$ mm. lata v. juniora minora, sessilia, subplana, margine obtuso sed angusto et parum prominente munita, dein immarginata et modice convexa, semper extus intusque nigra, opaca, madida molliuscula. Hypothecium crassum, viridi-nigrum v. viridi-fuscum v. atro-fuscum, superne sensim pallidius; lamina

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03652-0401-9

coerulescenti-viridis v. dilute virescens v. etiam demum in iisdem apotheciis dilute fuscescens aut incolor, tinctura jodina cupreo-tincta, solutione jodina aquosa autem pulchre coeruleo-tincta; epithecium coerulescenti-viride v. viridi-fuscescens; paraphyses subliberae, apice subclavato-incrassatae et saepe intense viridi-fuscae, validae, apice incrassato sporis aequilatae v. iis paulo latiores, haud articulatae. Asci circ. 45 mikr. longi, superne 12 mikr. lati, obovato-subclavati, rotundato-obtusi, apice haud pachydermeo-incrassati, 8-spori. Sporae 7—10 mikr. longae, 3—4 mikr. latae, oblongo-ovoideae v. cylindrico-ovoideae, saepius $2^1/_2$—3-plo longiores quam latae v. casu raro ambitu latiores, hyalinae et simplices. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Fl. Europ. t. 74. fig. 731 v. breviorum pauciorum ut in Hepp l. c. t. 75 n. 661 spor. 3 ad dextram.

Lichen prima fronte parum notabilis et multis minoribus microcarpis similis, in vicinitate *Lecideae sylvicolae* et *L. monticolae* locandus. A *Lecidea obsoleta* Nyl. in Flora 1865 p. 606 magnitudine apotheciorum, thallo evoluto et epithecio differt, a *L. furvella* ej. l. c. 1866. p. 418 thallo et hypothecio recedit. *Lecidea aphanoides* ej. l. c. 1868 p. 476 magis distat. A *Lecidea viridante* (Fw.) Anzi dein, glebulis thalli longe minus arcte definitis haud flavicantibus et sporis ambitu multo magis oblongatis differt, et a *Lecidea ochracea* et *L. monticola*, quibus etiam magnitudine apotheciorum et sporarum accedit, distinguitur thallo et colore epithecii et sporis magis oblongatis.

In saxis schistoso-calcareis ad Pont de Nant prope Les Plans ad pedem montis Grand Muveran supra Bex.

β botryosa, apothecia botryoso-gibboso-symphicarpoidea. Habitat cum forma normali ad Pont de Nant.

5. *Patellaria* (sect. *Bilimbia*) *faucigena* Müll. Arg., Thallus K = Ca Cl = leproso-farinosus, pallide v. obscure cinereus v. albidus, indeterminatus, tenuis v. hinc inde evanescens, hypothallo distincto destitutus. Apothecia parva, $^2/_{10}$—$^4/_{10}$ mm. lata, sessilia, juniora concava, helvolo-nigricantia, margine crasso vix prominente subnigro cincta, mox dein convexa et demum hemisphaerica et immarginata, fusco-nigra, opaca, subinde nonnihil caesio-pulverulenta, mollia, secta intus cinerea. Lamina circ. 60 μ alta, cum hypothecio aquoso-hyalina; epithecium fumoso-fuscum; paraphyses conglutinatae, apice modice incrassatae. Asci circ.

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03652-0402-5

45 μ longi, clavato-cylindrici membrana in apicem solidum superne incrassata, 8-spori, solutione aquosa jodina cum paraphysibus pulchre caeruleo-tincti. Sporae 10—14 μ longae, 3—4-plo longiores quam latae, anguste ellipsoïdeo-cylindricae, rectae v. leviter curvatae, utrinque obtusae, hyalinae (ambitu ut in Hepp Abbild. d. Fl. Europ. t. 9. n. 68 fig. 3, 4, 5, et in Stitzenb. Lecid. sab. t. 3. fig. 5. 3 et V. 9).

Sporae parvae ut in *Bilimbia pinguicula* Bagl., quae pinicola, et cujus apothecia majora, planiora, intus aliter colorata et lamina minus crassa. *Lecidea Nitschkeana* Stitzenb. Lecid. sab. p. 70 gaudet paraphysibus liberis et alia forma ascorum. A *L. sabuletorum* v. *trisepta* Stitzenb. l. c. p. 47 recedit epithecio neutiquam coerulescente et sporis minoribus et dein a *L. cupreo-rosella* Stitzenb. forma et minutie apotheciorum et sporarum. Primo intuitu *Bilimbiam miliariam* β *saxicolam* Körb. Par. p. 171 simulat, sed thallus non granulatus et apothecia minora intus omnino alia.

Habitat ad saxa micacea umbrosissima faucium „Gorges de Bouvernier" dictarum ad pedem montis Catogne Vallesiae.

6. *Patellaria* (sect. *Bilimbia*) *laminularis* Müll. Arg., thallus K = Ca Cl = tenuis, cartilagineo-leprosus, e viridi griseo-albicans, effusus; hypothallus albus tenuissimus laevigatus; apothecia $^1/_3$—$^5/_9$ mm. lata v. juniora minora, sessilia, primum (quum vix $^1/_7$ mm. lata) margine obtuso prominente concolore cincta, citissime dein immarginata, plana v. demum leviter convexa, semper coerulescenti-atra, opaca, submollia, intus nigra, sub hypothecio crasso atro-cinerea; lamina nanissima, circ. 30 μ alta, hyalina v. superne leviter fuscescens, epithecium e fusco viridi-atrum, hypothecium subhyalinum, crassum; paraphyses arcte conglutinatae; asci circ. 25 μ longi, oblongato-obovoidei, 8-spori; sporae valde tenellae, 7—11 μ longae, 4—5-plo longiores quam latae, ellipsoïdeo-subbaculiformes, medio nonnihil angustiores, utrinque obtusae, hyalinae, 2—4-loculares cum simplicibus mixtae; solutione aquosa jodina lamina e coerulescente cupreo v. fusco-rubello tingitur.

Lichen primo intuitu *Buelliam disciformem* gracilem simulat, apothecia magis convexa autem *Lecideam turgidulam* in mentem revocant, sed tamen sicca et madida nigra sunt. Nulli caeterum nisi *Bilimbiae pinguiculae* Bagl. (*Lecidea ping.* Stitzenb. Lecid. sab. p. 69. t. 3. T. fig. 1—6) arcte affinis, sed thallus alius, apothecia majora et semper nigra, sporae tenuiores, utrinque vulgo

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03652-0403-1

incrassatulae. A *Bilimbia leptosperma* Anzi Analecta p. 14 differt hypothecio haud nigro et forma angustiore sporarum. Sporae absque SO_3 vel Kal. caust. etiam sub optimis lent. facile uniloculares videntur, ambitu ut in Hepp Abbild. Fl. Eur. t. 4. N. 15 fig. duab. ult. ad dextram.

Habitat in monte Saleva, ad latus semiputrescens erosum trunci cujusdam Pyri Mali, loco dicto „Le Beulet".

7. *Opegrapha subparallela* Müll. Arg., thallus macula albida nitidula indicatus; lirellae exiguae, $^1/_3$—1 mm. longae, 2—4-plo longiores quam latae v. breviores vix dimidio longiores quam latae, illae utrinque acutae, hae autem obtusae, innato-sessiles, omnes secus fibras ligni subparallelae, simplices, rectae v. hinc inde subcurvatae, marginibus tenuibus prominentibus subacutis anguste rimosae, dein marginibus magis distantibus concavo-apertae v. demum planiusculae, nunquam turgidae, atrae, opacae, v. in marginibus v. etiam simul in disco ferrugineo-suffusae, intus fusco-atrae; lamina subfuscescens, 60 μ alta, hypothecium crassum atro-fuscum; asci 50 μ longi, cylindrico-obovoidei, 8-spori; sporae 15 μ longae, $2^1/_2$—3-plo longiores quam latae, 4-loculares, hyalinae, utrinque obtusae, ad dissepimentum medium nonnihil contractae; lamina solutione jodina aquosa sordide coerulescens.

Primo intuitu oculis nudis crescendi modo parallelo et magnitudine perfecte Xylographam parallelam mentitur, a qua tamen sub lente ex marginibus evolutis valde prominentibus statim et dein sporis non unilocularibus longissime distat. Sporarum ambitus paulo latior quam in *O. atrata*, loculi desupra visi quadratici nec oblongati apparent, et lirellae simplices et subparallelae minus oblongatae quam in *O. atrata* et margine tenui demum subacuto v. acuto praeditae sunt. A formis exiguis dein *O. variae* var. *pulicaris* differt sporis constanter 4-locularibus, lirellis tenellis parallelis et tenuius marginatis. Ab *O. ochrocheila* Nyl. in Flora Rat. 1865 p. 212, quae pluribus accedit, differt minutie et situ et margine lirellarum. — Ambitus sporarum ut in Hepp. Abbild. Fl. Eur. t. 39. N. 351, sed latere angusto distincte obtusior.

Habitat in truncis lente putrescentibus Pinorum montis Salevae.

8. *Opegrapha herpetica* var. *astroidea* Müll. Arg., thallus ochraceo-ferrugineus, tenuis, leproso-pulverulentus; lirellae immersae, fere immarginatae, maculas stellatim breviter latiramu-

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03652-0404-7

losas formantes v. hinc inde singulae; sporae 18—21 μ longae, 2—3½ μ latae, rectae v. leviuscule curvatae, utrinque subacutae.

Plantula satis fallax, primo intuitu ex colore thalli *Opegraphum vulgatam* simulans, sed apothecia sub lente fere omnino in thallo immersa et subplana, et sporae ipsae ut in *O. herpetica* v. subinde ex parte ambitu paulo angustiores; apothecia dein seu lirellae primo intuitu sub lente *Arthoniam* simulant et margine omnino v. fere omnino obsoleto insignita, hinc inde tamen cum aliis ex structura interna omnino conspecificis et margine distincto prominente sed parvulo praeditis mixta sunt, unde quoad formam et magnitudinem, praesertim humectata, fere similia abeunt *Arthoniae astroideae* Ach. Synops. p. 6 — A subsimili et similiter in Pinorum cortice crescente *Arthonia rosacea* Anzi Neosymb. p. 13 et Exs. Long. n. 435 differt thallo intensius ochraceo-ferrugineo, apotheciis minus tenellis et hinc inde margine prominulo praeditis. Juxta *O. herpeticam* var. rufescentem Nyl. (Scand. p. 256) locanda est.

Habitat ad corticem truncorum subannosorum Abietis pectinatae in monte Salève, in silvula „la Croisette", cum *O. herpetica* v. *rufescente*, *O. vulgata* et *Arthonia sordaria*.

Beiträge zur Flora der Pfalz
von Dr. F. Schultz in Weissenburg im Elsass.
(Fortsetzung.)

Hottonia palustris L., Poll. Seltener auch auf Vogesias bei Lautern z. B. bei der Kaisersmühle (schon Pollich) und beim Blechhammer (F. S.).

Globularia vulgaris L., Poll. Wird (in Schäfer's Trierischer Fl. und in Wirtgen's Fl. der preuss. Rheinl., sowie von Herrn Lehrer Goldenberg) bei Saarbrücken angegeben, konnte aber weder von mir von 1820 bis 1847, wo ich die Saarbrücker Gegend nach allen Richtungen durchsuchte, noch von F. Winter, der sie von 1861 bis 1870 durchforschte, gefunden werden. Dagegen fand sie F. Winter bei Merzig, 4 Meilen unterhalb Saarbrücken auf Muschelkalk.

Plantago major L. forma *intermedia* J. Lange, F. S. H. n. (*Pl. intermedia* Gilib.; *P. Winteri* Wirtg.) sammelte F. Winter auf Salzboden bei Emmersweiler unfern Saarbrücken. Zwischen-

urn:nbn:de:bvb:355-ubr03652-0405-3

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1871

Band/Volume: 54

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: Lichenum species et varietates novae 401-407